



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sacros. Concilii Tridentini Canones Et Decreta

Gallebart, Jean

Coloniæ Agrippinæ, 1621

Decretvm De Reformatione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39157

- qu. 3. Pat. Ægid. de Conink. de Sacram. & censur. q. 75. n. 3. Pet. Ledef. in sum. p. 1. tract. de Eucharist. c. 1. concl. 5.
- ¶ CANON II. Vide P. Henric. in sum. l. 8. c. 30. §. 2. lit. I. Pat. Vasquez in 3. p. D. Thomæ tom. 3. disp. 180. num. 108. & disp. 194. nu. 4. Pat. Ægid. de Sacram. q. 75. n. 49. & nu. 171. & qu. 77. art. 1. P. Valer. Reginald. in praxi fori pœnit. li. 29. n. 36. Pet. Ledelm. d. tract. de Euchar. c. 6. con. 2. & 3.
- ¶ CANON III. Vide P. Henric. in sum. li. 8. c. 27. §. 4. lit. K. P. Ægid. de Sacram. & censuris q. 74. n. 3. & n. 191. & q. 75. n. 49. & 168. & q. 76. nu. 32. Pat. Vasquez tom. 3. disp. 188. nu. 2. & 15. P. Valer. Reginald. d. lib. 29. num. 37.
- ¶ CANON IV. Vide P. Henric. in sum. li. 8. c. 29. in princip. lit. C. Bald. Iun. super opera controu. Bellarm. p. 2. li. 3. cap. 5. P. Ægid. d. q. 74. num. 26.
- ¶ CANON V. Vide P. Henric. in sum. lib. 8. c. 26. in principio lit. B. Ægid. de Sacramentis qu. 79. nu. 53. P. Vasquez d. tom. 3. disp. 205. num. 2.
- ¶ CANON VI. Vide Can. lib. 5. de locis Theolog. cap. 5. col. 144. & lib. 12. cap. 11. colum. 441. Pat. Henric. in sum. lib. 8. cap. 32. §. 3. lit. D. & cap. 42. §. 2. lit. H. P. Ægid. de Sacrament. tom. 1. qu. 76. nu. 86. P. Valer. Reginald. in praxi fori pœnit. lib. 29. nu. 37. in fine, P. Soar. tom. 3. disp. 65.
- ¶ CANON VII. Vide Bald. Iunium super opera controu. Bellarm. p. 2. li. 3. c. 5.
- ¶ CANON VIII. Vide P. Vasquez in 3. p. D. Thom. to. 3. disp. 212. num. 3.
- ¶ CANON IX. Vide P. Ægid. de Conink. de Sacrament. & censuris qu. 80. n. 102. cum seqq. P. Valer. Reginald. in praxi fori pœnit. li. 29. nu. 57. in fin.
- ¶ CANON X. Vide Sotum in 4. dist. 2. qu. 5. art. 4. col. 14. Can. de locis Theolog. lib. 3. col. 189. ad fin. cum seqq. P. Ægid. de Sacram. tom. 1. q. 80. nu. 5. cum seqq. P. Azor. inst. moral. par. 1. li. 10. cap. 31. col. 1040. P. Soar. tom. 3. disp. 66. sect. 3. vers. Sed quæres, P. Valer. Reginald. in praxi fori pœnit. li. 20. nu. 53.

DECRETVM DE REFORMATIONE.

CAPVT I.

Datur forma qua Episcopi debent residere, subditos cum prudentia corrigere, à cuius visitatione nemo appellet, &c.

EAdem sacrosancta Tridentina Synodus, præsidentibus in ea eisdem sanctæ Sedis Apostolicæ Legato & Nun-

α Nuncijs, intendens nonnulla statuere, quæ ad iurisdictionem pertinent Episcoporum, vt iuxta proximæ Sessionis decretum, illi in commissis sibi Ecclesijs eò libentius resideant, quò facilius & commodius sibi subiectos regere, & in vitæ ac morum honestate continere poruerint; illud primùm eos admonendos censet; *a* *β* vt se pastores, non percussores esse meminerint, atque ita præesse sibi subditis oportere, vt non in eis dominantur, sed illos tanquam filios & fratres diligant, elaborentque, vt hortando & monendo ab illicitis deterreant, ne vbi deliquerint, debitis eos pœnis coercere cogantur. Quos tamen, si quid per humanam fragilitatem peccare cõtigerit, *b* illa Apostoli est ab eis seruanda præceptio; vt illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate, & patientia: cum sæpè plus erga corrigendos agat beneuolentia quàm austeritas, plus exhortatio quàm comminatio, plus caritas quàm potestas. Sin autem ob delicti grauitatem virga opus fuerit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia iudicium cum lenitate seueritas adhibenda est; vt sine asperitate disciplina populi salutaris ac necessaria conseruetur; & qui correpti fuerint, emendentur; aut si resipiscere noluerint, ceteris salubri in eos animaduersionis exemplo, à vitijs deterreantur: cū sit diligētis & pij simul pastoris officium, moribus ouium leuia primùm adhibere fomenta; post, vbi morbi grauitas ita postulet, *c* ad aciora & grauiora remedia descendere; sin autem ne ea quidem proficiant illis submouendis, ceteras saltem oues à contagionis periculo liberare. *d* Cū igitur rei criminum plerumq; ad euitandam pœnas & Episcoporum subterfugienda iudicia, querelæ & grauamina simulent, & appellationis diffugio iudicij processum impediunt, ne remedio, ad innocentiam præiudicium instituto, ad iniquitatis defensionem abutantur, atque vt huiusmodi eorum calliditati & tergiversationi succurratur, ita statuit & decreuit: *e* *γ* *In causis visitationis & correctionis, siue habitatis & inhabilitatis, nec non criminalibus, ab Episcopo seu illius in spiritualibus Vicario generali, ante definitiuam sententiam, d* ab interloquio

Tit. 1.
1. Tim. 3.
1. Pet. 5.
dist. 4. 5. in
prim. dist. 94.
c. vit. dist. 95.
c. esto subie-

ctus.
1. Tim. 4.

c. c. c. c. c. c. c.
c. c. c. c. c. c. c.
p. i. i. i. i. i. i. i.
c. c. c. c. c. c. c.
de elec.

c. Infr. Sess.
22. c. 1. & 24.
s. 20. de ref.

vel alio quocumq. grauamine, 2 non appelletur: & c. nec Episcopus seu Vicarius appellationi huiusmodi, tanquam synoda, deferretur; sed ea ac quacumq. inhibitione ab appellationis iudice emanata, necnon omni stylo & consuetudine, etiam immemotabili, contraria non obstante, ad vltiora valeat procedere: 2 nisi grauamen huiusmodi per definitiuam sententiam reparati, vel ab ipsa definitiua appellari non possit: quibus casibus sacrorum & antiquorum Canonum statuta illibata persistant.

a c. vt debitus de appell. cum syn.

DECLARATIONES.

- 1 In causis visitationis & correctionis. Appellatio a correctione non est admittenda per Metropolitanum ante definitiuam sententiam, etiam si Metropolitanus acta solum videre veller expensis appellantis transportanda.
 - 2 Non appelletur. Appellatio a definitiua in causa correctionis non suspendit executionem. Itaq; in nonnullis casibus, veluti in materia correctionis morum, vbi Concilium expressè sustulit appellationem, sublatam intellige quoad effectum suspensiuum, non autem deuolutiuum.
 - 3 Nisi grauamen. Non est inhibendum Episcopis in aliqua causa; quæ sit coram eis in prima Instantia, nec deferendum appellationibus, nisi appellatum fuerit a definitiua, vel interlocutoria habente vim definitiuæ, cuius grauamen per appellationem a definitiua non possit reparari.
- Post definitiuam sententiam in causis visitationis & correctionis appellari potest, ita tamen, vt appellatio non suspendat executionem, nisi grauamen sit huiusmodi, vt est infra.

REMISSIONES.

- 1 Vide Fr. Emman. quest. Regular. tom. 2. quest. 46. art. 1.
- 2 Vi pastores, non percussores esse meminerint. Episcopi pendere debent summa diligentia, & pietate text. in presentis & infr. sess. 24. c. 3. & sess. 25. c. 1. de Refor. & c. Esto subiectus, & c. Episcopus eum sequentibus. 92. diff.
- 3 In causis visitationis, &c. Vide infr. sess. 24. c. 10. Nauarr. in Man. c. 18. & 25. n. 14. cum seq. & in Rub. de iud. notab. 9. n. 83. Thom. Valasc. tom. 1. alleg. 70. n. 4.
- 4 Ab interlocutoria, vel ab alio quocumq. grauamine non appelletur. Quando grauamen illatum per illam non potest tolli per appellationem a definitiua, posse appellari docet Nauarr. conf. 2. de appellat. quod potest etiam appellari ex rationabili causa, & in appellatione expressa, habetur in c. Vt debitus, de appellat. ca. Cum appellationibus

bus friuolis, eod. tit. lib. 6. Vide tamen Soar. de Paz in praxi tom. 2. p. 5. c. vnic. n. 3. Quarant. in summa Bullarij, verbo Archiepisc. auctoritas, vers. Primò quarto, pag. 65. vbi resoluit, quòd non potest appellari ab interlocutoria in scriptis, & expressa causa iusta, ex hoc decreto, licet olim ante Concilium auctore iure, liceret.

¶ *Nec Episcopus, seu Vicarius appellationi huiusmodi tanquam frivola deferre tenentur.* Sacra Cardinalium Congregatio ita censuit. Archiepiscopus non debet se ingerere in prima instantia causarum, quæ agitantur coram eius suffraganeo. Et iterum: Non est inhibendum Episcopis in aliqua causa, quæ sit coram eis in prima instantia, nec deferendum appellationibus, nisi in illis tribus casibus, de quibus supra adest bulla Greg. XIII. quæ est 24. fol. 1220. in Bullario, & prædictis Cardinalium decisiones refert Zerol. in praxi Episc. verbo Appellatio, vers. Ad decimum.

ζ Sacram Cardinalium Congregationem definisse, Metropolitanum non posse cognoscere, etiam citra præiudicium cursus causæ coram Episcopo, neque ad eum effectum etiam absq; vlla inhibitione posse simpliciter mandare, vt sibi transmittatur copia processus expensis appellantis, extra casus à prædicto Concilio expressè cõcessos appellandi, refert Stephan. Quarant. in sum. Bullar. verbo Archiepisc. auctoritas vers. Primò quarto, p. 65.

η In hac deniq; appellationis materia extat decretum Sacræ Congregationis prolatum die 16. Octob. ann. 1600. Alex. Card. Florent. Hieronym. Agucechius Secret. cuius tenor sequens est.

θ Ad tollendas ambiguitates, & cõtrouersias iurisdictionales, quæ inter appellationum, & prioris instantiæ iudices nõ sine partium dispendio, cursuq; iustitiæ impedimẽto, & sæpè cū scandalo, oriuntur, sacra Congregatio causis Episcoporum præposita, facta prius relatione S. D. N. Clem. Papæ, ac de Sactitatis suæ mādato viuè vocis oraculo desuper habito, in huc, qui sequitur, modum ab omnibus, ad quos spectat in posterum fieri, ac seruari debere mandauit, & mandat.

ι Metropolitanis, Archiepiscopis, Primates, aut Patriarche suffraganeos, eorumve subditos non iudicent, nisi in casibus à iure expressè

κ Idem, nec alij superiores etiam Nuntij, vel Legati de latere specificam facultatem maiorem non habentes, causas in curijs Ordinariorum, vel aliorum inferiorum iudicum pendentes ad se non aduocent: nisi per viam legitime appellationis ad ipsorum tribunalia deferantur; tuncq; appellantes ab inferiorum iurisdictionibus, quoad alias causas eximere non possint.

λ Appellationes nunquam recipiantur, nisi per publica documenta, quæ realiter exhibeantur, prius constiterit appellationem à sententia diffinitiuam, vel habente vim diffinitiuam, aut à grauamine, quod per diffinitiuam sententiam reparari non possit, in casibus à iure non prohibitis per legitimam personam, & intra debita tempora iuste interpositam, ac prosequutam.

11 Nec dum causæ coram inferioribus iudicibus pendent, ante diffinitivam sententiam, vel vim diffinitivæ habente, de gravamine illato, superiores cognoscere valeant, licet citra præiudicium cursus causarum se id facere contestentur. Nec ad hunc effectum liceat eis inhibere, aut simpliciter mandare, ut ipsi copia processus transmittatur etiam expensis appellantis.

12 Inhibitiones post appellationem, sicut præmittitur, receptam non concedantur, nisi in scriptone tenoris sententiæ, aut decreti diffinitivi, aut vim diffinitivi habentis, vel damnum per diffinitivam irreparabile continentis; alias inhibitiones, & processus, & inde sequuta quæcumque sint in ipso iure nulla, eisque impune non parere liceat.

13 Si appellans asserat sententiæ, aut appellationis exemplum culpa iudicis à quo, vel actuarij habere non posse, non ideo recipienda erit appellatio, aut aliqua inhibitio concedenda, sed eis tantum, ad quos pertinet, iniungi poterit, ut soluta condigna mercede actorum exemplum authenticum appellanti intra breuem aliquem competentem terminum tradatur. Caveat tamen iudex à quo, nisi verè appellatum fuerit in causa appellabili, interim aliquid in præiudicium appellantis attentet: Et si per actum publicum, aut per testium depositiones constiterit acta denegari appellanti, tunc mandato tradendi acta possit iudex appellationis adijcere, ne interim aliquid novi contra appellantem intenteretur.

14 Ab executione decreti S. Concilii Tridentini, aut visitationis Apostolicæ appellationes à Metropolitanis non recipiantur, nec, si Episcopi virtute eiusdem Sacri Concilij procedant, ut Sedis Apostolicæ delegati in causis, quæ sub eorum iurisdictione ordinaria non comprehenduntur, salva tamen in hoc casu Legatorum, & Nuntiorum Apostolicæ auctoritate.

15 In causis verò visitationis Ordinariorum, aut correctionis morum, quoad effectum devolutivum tantum admittantur: nisi de gravamine per diffinitivam irreparabili agatur, vel cum visitator citata parte, & adhibita causæ cognitione iudicialiter procedit, tunc enim appellationi locus erit, etiam quoad effectum suspensivum.

16 Cum à gravamine, quod per diffinitivam reparari nequit, ut indebita carcerationis, vel torture, aut excommunicationis etiam comminata appellatur, non nisi visis actis, ex quibus euidenter appareat de gravamine, appellatio admittatur, aut inhibitio, vel provisio aliqua concedatur.

17 Causa appellationis, dum pendet, appellans in eodem quo reperitur carcere, permanebit, quoad iudex, ad quem appellatum est, visis actis, & causa cognita, aliter decreverit: & tunc si à iudice ad quem decreto vim diffinitivæ habente fuerit appellatum, nihil mandare, aut pro sui decreti executione attentare poterit, donec per iudicem superiorem aliud fuerit ordinatum.

Acta originalia processuum primæ instantiæ ad iudicem appellationis notarius mittere non cogatur, nisi probabilis aliqua falicitatis causa, & suspicio incidat, quæ iudicialiter obijciatur; & tunc terminata causa, remittenda sunt ad Ordinarium, vt in suo archiuo conferuerur.

A sententia diffinitiuâ contra verum contumacem prolata appellatio non recipiatur: nec inhibitiō, aut alia quæuis prouisiō, quando appellans in huiusmodi vera contumacia perstiterit, concedatur.

CAPVT II.

In criminalibus appellationis causa à sententia Episcopi, quando Metropolitanano, & quando vni ex vicinioribus sit committenda, eorumve Vicarijs, & non inferioribus.

A Sententia Episcopi, vel ipsius in spiritualibus Vicarij generalis, in criminalibus appellationis causa, vt appellationi locus fuerit, si Apostolica auctoritate in partibus eam committi contigerit, 1. Metropolitanano, seu illius Vicario in spiritualibus generali; aut, si ille aliqua causa suspectus foret, vel vltra duas legales diaras distet, seu ab ipso appellatum fuerit, 2. vni ex vicinioribus Episcopis, seu illorum Vicarijs, non autem inferioribus iudicibus committatur.

DECLARATIONES.

1. *Metropolitanano, seu illius etiam Vicario.* Fuit dubitatum, An Legati seu Nuncij Apost. possint committere istas causas suis Auditoribus, vt illas viderent tanquam Iudices delegati? Fuit resolutum die 6. Octobr. 1588. non posse: & fuit allegatum, c. 10. sess. 25. de Reform.

2. *Vni ex vicinioribus Episcopis.* An sita Decretis & sententijs Ordinarij, qui etiam tanquam Sed. Apostol. delegatus ex Decret. Concilij processit, interponenda appellatio coram Ordinario, vel potius ad Sedem Apostolicam appellandum? Et fuit resolutum, appellandum esse ad Metropolitanum, quia Concilium videtur coadiuuare, non autem de nouo dare.

Die 24. Maij, 1590. Congregatio censuit, sententias latis ab Auditoribus Nunciorum Sanctissimi in causis appellationum, in criminali, nullas esse, nec propter vtilitatem publicam, & communem pacis errorem sustineri.

CAPVT III.

Acta prima instantia intra triginta dies dentur gratis reo appellanti.

Reus, ab Episcopo, aut eius Vicario in spiritualibus generali, in criminali causa appellans, coram iudice, ad quem appellauit, 1 acta prima instantia omnino producat: & iudex, nisi illis visis, ad eius absolutionem minime procedat. Is autem, a quo appellatum fuerit, intra xxx. dies acta ipsa postulanti 2 gratis exhibeat: alioqui absque illis 3 causa appellationis huiusmodi, prout iustitia sua ferit, terminetur.

DECLARATIONES.

1 Acta prima instantia.] Confito de contumacia Iudicis a quo, recusantis exhibere acta, partes erunt Iudicis, ad quem appellatum est, absolueri partem appellantem a molestationibus, & pronuntiare acta & sententiam Iudicis a quo, si vniquam reperiuntur, cassa esse & vana.

Carcerati sine processu appellatio a Metropolitano cognosci, potest, dummodo non impediatur executionem: carceratus tamen non est per iudicem appellationis, nisi causa cognita, relaxandus.

2 Gratis exhibeat.] Gratis exhibenda sunt acta in causa criminali, confecta per Cancellarium Episcopi aut ipsummet Episcopum: secus si per Notarium, cui soluenda est merces, iuxta c. 20. sess. 24.

3 Causa appellationis.] Congregatio censuit, Episcopum, ad quem appellatum fuerit, excommunicatum coram se comparentem ad cautelam posse absolueri; visis tamen actis, quibus Iurisdictio sua fundetur, quamuis alias de causae meritis non cognoscat definitiue; tamen non nisi visis omnibus actis primae instantiae posse, iuxta hoc cap. sententiam ferre.

REMISSIONES.

Vide Soarez de Paz, in praxi tom. 2. p. 5. c. vnic. nu. 14.

CAPVT IV.

Si a iure requisiti Episcopi certo numero non possunt assistere Episcopo deponenti ac degradanti Clericum, assistant totidem Abbates certi, eiusdem diocesis: quibus assistere non valentibus, assistant persona alioquin in dignitate constituta, &c.

a Carib. 10.
Vide 3. q. 2. c.
suggere &
15. q. 7. c. Pe-
lix Episcop.

Cum verò tam grauia nonnunquam sint delicta, a Cab Ecclesiasticis comissa personis, vt ob eorū atrocita-

a 2. Hispal. c. 6.
b c. si quis, c. 6. seq. 4. 9. 7.
c degradat. de pœn. in 6.

citatem è sacris Ordinibus deponendæ, & curiæ sint tradendæ sæculari: in quo *a* secundùm sacros Canones certus Episcoporum numerus requiritur: *b* quos si omnes adhibere difficile esset, debita iuris executio differretur: si quando autem interuenire possent, eorum residentia intermitteretur: propterea statuit & decreuit: Episcopo per se, seu illius Vicarium in spiritualibus generalem, contra Clericum, in sacris etiam Presbyteratus Ordinibus constitutum, etiam ad illius condemnationem, nec non verbalem depositionem, & per seipsum etiam ad actualem atque solennem degradationem ab ipsis Ordinibus & gradibus Ecclesiasticis, in casibus, in quibus aliorum Episcoporum præsentia, in numero à Canonibus definito, requiritur, etiam absque illis procedere liceat: adhibitis tamen & in hoc sibi assistentibus totidem Abbatibus, vsu mitræ & baculi ex priuilegio Apostolico habentibus, si in ciuitate aut diœcesi reperiri & commode interesse possint; alioquin alijs personis in Ecclesiastica dignitate constitutis, quæ ætate graues, ac iuris scientia commendabiles existant.

R E M I S S I O N E S.

*V*ide Salzed. in pract. c. 3. n. 7. P. Henriq. in sum. li. 13. c. 55. §. 2. P. Vler. Reginal. in praxi fori pœn. li. 32. tract. 2. nu. 52.

C A P V T V.

Gratias mendacis aut taciturnitate extortas pro remissione peccati aut pœne, ad quam criminofus fuerat condemnatus, reuocet is qui gratiam fecisse videbatur.

ET quoniam per fictas causas, quæ tamen satis probabiles videntur, interdum accidit, vt nonnulli eiusmodi gratias extorqueant, per quas pœnæ, illis Episcoporum iusta seueritate inflictæ, aut remittuntur omnino, aut minuuntur; cum non ferendum sit, vt mendacium, quod tanto

tantopere Deo displicet, non modò ipsum *a* impunitum sit, verum etiam alterius delicti veniam impetret mententi idcirco, vt sequitur, statuit & decreuit: Episcopus apud Ecclesiam suam residens, de surreptione & obreptione gratiæ, quæ super absolutione alicuius publici criminis, vel delicti, de quo ipse inquirere cœperat, aut remissione pœnæ, ad quam criminofus per eum condemnatus fuerit, falsis precibus impetratur, per seipsum, tamquam Sedis Apostolicæ delegatus, *b* etiam summarie cognoscat; *b* e. super litteris. & c. c. dilecta. de veri taciturnitatem obtentam esse legitime constiterit, refer. non admittat.

a Exod. 23.
Leuit. 19.
Prou. 6. 3. 10.
12. & 19.
c si quis dixerit. eum
si q. & c. nemo peritorum. 11.
q. 3.

CAPVT VI.

Episcopus nequaquam moueatur aut citetur vt personaliter compareat, nisi ob causam ex qua deponendus aut priuandus veniret.

Quoniam verò subditi Episcopo, *c* tametsi iure correpti fuerint, magnopere tamen eum odisse, & tamquam iniuria affecti sint, falsa illi crimina obijcere solent; vt, quoquo pacto possint, ei molestiam exhibeant; cuius vexationis timor plerumque illum ad inquirenda & punienda eorum delicta segniorem reddit: idcirco, ne is magno suo & Ecclesiæ incommodo gregem sibi creditum relinquere, ac non sine Episcopalis dignitatis diminutione vagari cogatur, ita statuit & decreuit: *d* & Episcopus, nisi ob causam, ex qua deponendus siue priuandus veniret, etiam si ex officio, aut per inquisitionem, seu denunciationem, vel accusationem, siue alio quouis modo procedatur, vt personaliter compareat, nequaquam citetur vel moncatur.

c e. sunt non nulli. 2. q. 7.
d Vide Sess. 24. c. 5.

REMISSIONES.

Episcopus nisi ob causam. Vide Iacob. lib. 22. de officio Vicarij lib. 2. quæst. 59. num. 1. & 2. Clar. in §. fin. q. 35. vers. Vtcius quæro. Stephan. Grat. discept. for. cap. 169. num. 15.



CAPVT VII.

Qualitates testium contra Episcopum describuntur, usq[ue] carentes puniuntur.

a c. accusatio
quod q[ui]s ac-
cusatio Epi-
scoporum, c.
rester. 2. q. 7.
& c. ult. 2. q.
3. Conc. Rom.
sub Siluest. 7.
iuxta Ana-
cliti Pap.
Epist. 7. &
Carthag. 2. c.
6. & Car-
thag. 4. c. 96.
& Sixt. III.
Epist. 3. c. 3.

TESTES in causa criminali ad informationē, vel iudicia seu aliās in causa principali contra Episcopū, nisi contestes, & bonæ conuersationis, existimationis & famæ fuerint, non recipiantur; & si odio, temeritate, aut cupiditate aliquid deposuerint, grauib[us] pœnis multentur.

CAPVT VIII.

CAUSÆ Episcoporū, cūm pro criminis obiecti qualitate comparere debeant, coram Pontifice Maximo ferantur, ac per ipsum terminentur.

REMISSIONES.

Vide Gonzal. ad reg. 8. Cancel. Gloss. 41. n. 5. vbi resoluit, Cœcilium in præfenti dū definit, quod Episcopus nisi ob causam ob quam deponendus, seu priuandus venerit, vel personaliter compareat, nequaquam citetur, vel moneatur, intelligendum esse de Episcopis nō residentibus; quia illi possunt citari, seu moneri ad comparandum, ob causam ob quam veniant deponendi, seu priuandi. Episcopi autem residentes, etiam si sit causa atrocissima, vt potestatis, aut lætæ maiestatis, minimè citari possunt ad personaliter comparandum, per quoscunq[ue] iudices ordinarios, vel delegatos, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales; nisi de expressa, ac specialis commissione manu Papæ signata.

Decretum prorogationis definitionis quatuor articulorum de Sacramento Eucharistiæ, & salui conductus, Protestantibus dandi.

EAdem sancta Synodus errores omnes, qui super hoc sanctissimo Sacramento repullularunt, tam vt vepres ex agro Dominico euellere, ac omnium fidelium salutem prospicere cupiens, quotidianis precibus Deo omnipotenti piè oblati, inter alios, ad hoc Sacramentum pertinentes, articulos, diligentissima veritatis Catholice inquisitione tractatos, plurimis accuratissimisque

rerum grauitate disputationibus habitis, cognitis quoque
 præstantissimorum Theologorum sententiis, hos etiam
 tractabat: An necessarium sit ad salutem, & diuino iure
 præceptum, vt singuli Christi fideles sub vtraque specie
 ipsum venerabile Sacramentum accipiant. Et: Num mi-
 nus sumat qui sub altera, quàm qui sub vtraque commu-
 nicat. Et: An errauerit sancta mater Ecclesia, laicos, &
 non celebrantes sacerdotes, sub panis specie dumtaxat
 communicando. Et: An paruuli etiam communicandi
 sint. Sed quoniam ex nobilissima Germaniæ prouincia ij,
 qui se Protestantes nominant, super his ipsis articulis, an-
 tequam definiatur, audiri à sancta Synodo cupiunt, & eã
 ob causam fidem publicam ab illa postularunt, vt ipsis tu-
 to huc venire, & in hac vrbe commorari, ac liberè coram
 Synodo dicere atque proponere quæ senserint, & postea,
 cum liberit, recedere liceat: sancta ipsa Synodus, licet
 magno desiderio eorum aduentum multos antea mentes
 expectarit, tamen, vt pia mater, quæ ingemiscit & partu-
 rit, sum in opere id desideras ac laboras, vt in ijs, qui Chri-
 stiano nomine censentur, nulla sint schismata, sed quem-
 admodum eundem omnes Deum & Redemptorem agno-
 scunt, ita idem dicant, idem credant, idem sapiant; confi-
 dens Dei misericordia, & sperans fore, vt illi in sanctissi-
 mam & salutarem vniuersi fidei, spei, caritatisq; concordia
 redigantur, libenter eis in hac re morem gerens, securita-
 tem & fidem, vt petierunt, publicam, quam saluū condu-
 ctum vocant, quo ad se pertinet, eius, qui infra scriptus
 erit, tenoris, dedit atq; concessit: & eorum causa definitio-
 nem illorum articulorum ad secundam Sessionem distulit;
 quã, vt illi comode interesse possent, in diem festum Con-
 uersionis D. Pauli, quæ erit vigesima quinta die mensis
 Ianuarij, anni sequentis, indixit. Illudque præter-
 eã statuit, vt in eadem Sessione de Sacrificio Missæ aga-
 tur, propter magnam vtriusque rei connexionem: inter-
 eã Sessione proxima de Pœnitentiæ & extremæ Vnctio-
 nis Sacramentis tractandū. illam autem die festo D. Ca-
 tharinæ virginis & martyris, qui erit vigesima quinta No-
 nem-

nci. In
 declar
 atem
 1640

140 *Concil. Trid. cum Declarat. & Remiss.*
uembtis, habendam esse decreuit, simulque vt in vtraque
materiam reformationis prosequatur.

SALVVS CONDVCTVS DATVS PROTESTANTIBVS.

SACROSANCTA generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem sanctae Sedis Apostolicae Legato & Nuncijs, omnibus & singulis, siue Ecclesiasticis siue saecularibus personis vniuersae Germaniae, cuiuscumque gradus, status, conditionis, qualitatibus sint, quae ad oecumenicum hoc & generale Concilium accedere voluerint, vt de rebus, quae in ipsa Synodo tractari debent, omni libertate conferre, proponere & tractare, ac ad ipsum oecumenicum Concilium liberè & tuto venire, & in eo manere & commorari, ac articulos, quot illis videbitur, tam scripto quam verbo, offerre, proponere, & cum Patribus, siue ijs qui ab ipsa sancta Synodo delecti fuerint, conferre, & absque vllis conuicijs & contumelijs disputare, necesse quando illis placuerit, recedere possint, & valeant, publicam fidem & plenam securitatem, quam saluum concilio appellat, cum omnibus & singulis clausulis & decretis necessarijs & opportunis, etiam si specialiter & nominatim per verba generalia exprimi deberent, quae pro expressis haberi voluit, quantum ad ipsam sanctam Synodum spectat, concedit. Placuit praeterea sanctae Synodo, vt, si pro maiori libertate ac securitate eorum, certos tam pro committendis quam pro committendis per eos delictis iudicibus deputari cupiant, illos sibi beneuolos nominent, etiam si delicta ipsa quantumcumque enormia, ac haeresim sapientia fuerint.

SESSI